



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DHARMAPURIENSIS** NOVA DIOECESIS  
CONDITUR IN INDIA, DHARMAPURIENSIS APPELLANDA

Totius dominici gregis procuracionem, ab ipso Iesu Nobis commissam, summa diligentia agere properamus, ut eiusdem salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctasque efficaciter gentes. Idcirco Nos res disponere festinamus ut hoc facilius commodiusque contingat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quorum interest audito faventi suffragio, haec statuimus et decernimus. Novam dioecesim condimus *Dharmapuriensem* a principi urbe eiusdem regionis Dharmapuriensis appellandam, septentrionali districtu, quem « Dharmapuri » appellant, a Sede Salemensi distracto. Hanc dioecesim Metropolitanæ Ecclesiae Pondicheriensi et Cuddalorensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Episcopalem porro sedem in urbe ponimus, quae Dharmapuri vocatur, et ibidem templum Sacro Cordi Iesu dicatum ad statum Cathedralis Ecclesiae attollimus. Cetera secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Georgium Zur, Archiepiscopum titulo Sestensem et in India Apostolicum Pronuntium, legamus; facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad finem perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto et vicesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo septimo, Pontificatus Nostri undevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXIX (1997), n. 7, pp. 438-439

© Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana